



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

24. Clerici tenentur ad omnia onera; quae convertuntur in utilitatem
communem clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Eccles. in 6. & d. extrang. r. s. ceterum, eod. titul. cap. adversus, vers. propter imprudenciam, & ibi Abb. n. 1. eodem, & tunc laici non ex obligatione, sed humiliter, & devotè cum gratiarum actione id recipere debent, d. cap. adversus, vers. verum, si quando.

24 † Quartò tenentur ecclesiastici ad reparationem fluminum, pontium, & viarum, quoties communis laicorum, & ecclesiasticorum urget necessitas, & concurrat utilitas, Abb. in d. cap. non minus, num. 18. & Bald. in d. l. ad instructiones, n. 2. Secus autem, si communitas à flumine haberet particulares redditus piscationis, transitus, portus, aquarum ad pratorum particularem irrigationem, & molendinorum particularium adaquationem, aut pedagia sub quocunque nomine, & titulo ad particularem, aut Universitatis utilitatem exigent: quia tunc cum pedagia, gabellas, tractas, & passagia, promereibus, & animalibus, præsertim bobus cum plaustris, & ab advenis transeuntibus pontes, & vias, ut plurimum destruuntibus exigant, laici suis sumptibus ad huiusmodi refectiones, & reparationes tenentur, Archid. in cap. si quis peregrinus, 23. quest. 3. Cepol. de servit. viar. num. 47. Nicol. Testa. in tractat. de collect. n. 45. Bald. in d. l. ad instructiones, num. 2, ubi quod plaustra destruunt vias, quas continuè reficere oportet. & est ratio, quia, qui tenet commodum, sentire debet incommodum, & contra l. secundum naturam, ff. de reg. jur. & cap. qui sentit. eod. tit. in 6.

25 † Laici autem contrafacientes, exigentes, seu extorquentes ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis tales, seu colle-

ctas, aut exactiones quascunque, & dantes ad id faciendum contubernium, auxilium, vel favorem, etiam circa præstandas subventiones laicis ab ecclesiis prælatis, ac alijs visis ecclesiasticis sententiam excommunicationis incurrant, donec satisfactionem fecerint competentem, d. c. non minus, in fin. cap. adversus, clement. unic. §. volentes, eod. tit. de immunit. Eccles. & c. quanquam, de cens. in 6, & sententias, ac constitutiones, quæ à talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ sunt, nullo unquam tempore valituræ, d. cap. adversus, §. quia verò.

Dubitari enim potest, an solventes tales, seu collectas sine Pontificis auctoritate, & ipsi excommunicationis sententiam incurrant, ut in d. cap. clericis laicos, eod. tit. in 6, in cap. 1, eod. in extravag. com. & respondetur, quod non, quia illa duo capitula in Conc. Vienn. per Clem. V. cum omnibus ab illis secutis fuerunt revocata, ut d. clem. unic. vers. nos de consilio. Et quia exigentes gabellas ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, an etiam exigentes collectas pari modo illam incurrant, de jure communi constat, quod non, quia post mensem, nisi satisfecerint, dictam pœnam incurrunt, quæ afficit etiam successorem, d. cap. adversus, in fin. & ibi Abb. num. 23. Sed ex dispositione Bullæ in die Cœnæ Domini legi consuetæ qui collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælatis, & alijs personis ecclesiasticis, ac eorū & ecclesiarum, Monasteriorū, & aliorum beneficiorū ecclesiasticorū bonis, illorumque fructibus redditibus, & proventibus, absq; Romani Pontificis speciali, & expressa licentia impouit, & diversis etiam exquisitis modis exigunt,